

Lorenz Bodock

**Quod Deus Præpotentissimus clementissimè sospitet ac secundet. Serenissimi
Ac Celsissimi Principis Et Domini Dn. Christiani, Ducis Mecklenburgici ...**

[Rostock]: Typis Hæredum Nicolai Kilii, [1658]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn183875427X>

Druck Freier  Zugang



Christian Louis I.

Jahrsheft. 1658 in ---

Mkl f I

1627

Anth. f. I
1627-40

Quod

22 XII

1658

DEUS PRÆPOTENTISSIMUS

clementissimè sospitet ac secundet.

SERENISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI

D N.

CHRISTIANI,

DUCIS MECKLENBUR-
GICI, PRINCIPIS VANDALORUM,

SWERINI, RATZEBURGI, COMITIS SWE-
RINENSIS, TERRARUM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DYNASTAE, MAGNI-

FICENTISSIMI ACADEMIAE

HUJUS CANCELLARII,

Consiliarius & Historiographus

LAURENTIUS BODOCK

Academiae Rostochiensis Orator pu-
blicus, Ordinis Philosophici Senior.

LECTORI BENEVOLO S. P. D.



*E*fulgebit, DIVINA PROVIDENTIA,
proximè sequens dies Primus, Mensis Decem-
bris, qui Anno M. DC. XXIII, inter horam
4. & 5. matutinam, SERENISSIMUM

AC CELSISSIMUM PRINCIPEM
AC DOMINUM, DN. CHRI-
STIANUM, DUCEM MECK-

ENBURGICUM, PRINCIPEM VANDALORUM,
SWERI-



SWERINI RATZEBURGI, COMITEM SWERI-
 NENSEM, TERRARUM ROSTOCHII ET STAR-
 GARDIÆ DYNASTAM, MAGNIFICENTISSI-
 MUM ACADEMIÆ CANCELLARIUM, DOMI-
 NUM CLEMENTISSIMUM, *primum, cum felicissimò Pro-*
vincia incrementò, per tot gloriosissimos Vandalorum
 Reges & Principes, per tot laudatissimos Mecklen-
 burgicos, Sacriq; Romani Imperii Duces in hanc com-
 munem, protulit lucem. Dies me hercule! quò uti latiore,
 Megapolis, Academia, & Urbs *hac, non noverunt, sic solennio-*
ri festiuitate, ab omnibus bonis atque à me, erit celebrandus. Quid
 etenim aliud dies iste, Divinà illà & incomprehensibili clementiã
 Provinciæ, Academiae, Urbisq; attulit, quàm redivivum
 Orbis Mecklenburgici *ATLANTEM,* qui non supra verticem,
 sed in pectore Heroicò, omnem lucidissimarum Virtutum Principe præ-
 clarissimo dignarum sustinet spheram: Quid aliud protulit? quàm
TRAFANUM Mecklenburgicum, qui subditos suos propria vitã
 chariores habens, omni editior conatu, ut Provinciam suam & sal-
 vam & florentissimam conspiciat: At quãnam obsecro solemnitate,
 quò cultu? quò ritu? faustissimam hanc excipiam lucem? Annè ad
 majorem hujus diei (qui summa felicitatis, quam jam omnes experimur
 auspex fuit) letitiam ac magnificentiam, varios illos ac supersticiosos,
 eorum mortalium, quibus divina fidei Christianæ lux non affulsit, ritus
 adhibebo? quibus ipsi, & dies suorum Principum, & eorum cunas vene-
 rabantur; In quibus, subditorum ac populi salutem & felicitatem mol-
 liter quiescere credebant. Minimè verò. Cum autem exiguarerum no-
 strarum sors sit, & Serenissimus ac Celsissimus Princeps, non nomine
 tantum, sed re ac animò integerrimò *CHRISTIANUS,* tamq; excelsã
 tam Heroicã præditus indole, spernat hanc profanam ac temerariam,
 Ethnicarum gentium superstitionem, solaq; humillimã devotionis, sola
 simplicis pietatis munera, à me, nobisq; omnibus maximi faciat. Ejus
 jam generosissima Divinaque menti, imò totius Provinciæ Animæ, vi-
 tam, vigorem, ac virtutem eidem, felicissimæ impertienti, memet confor-



mans, uorumque hominum, qui solam ducem Naturam, & huma-
nam rationem, tanquam Deum sequebantur, omnem rejiciens vanita-
tem, devotâ & publicâ gratulatione, tam fortunatum diem Primum
Decembris, longèq; Januariis TITI, Februariis CONSTAN-
TINI Calendis, aliisque illustrissimis Principum laudatissimorum
natalibus fortunatiorem honorabo. Et, quia olim populus Romanus, di-
em JULII Caesaris natalem, Laureatus ac hilaris, celebrabat
Ego quoque diem hunc, Principis mei clementissimi, Vita primum, caelo
jucundum, terris salutarem, non jam Lauro sed PALMA instru-
ctus, cum summâ animi voluptate celebrare conabor; imò, in Majori
Auditorio, in Maximorum, celeberrimorum, ac honoratissimorum
Auditorum Spectatorumque Confessu, diei proximè sequenti Primò
Decembris, Horâ Nonâ, PALMA GLORIOSISSIMA,
Augustum & Venerandissimum, Serenissimi ac Celsissimi Principis
Ducisq; CHRISTIANI Caput, cum submississimâ observantiâ
redimire annitar. Cujus auspiciatissimum diem Natalem, Vitam
praeclarissimam, Virtutesq; Heroicas, nihil elegantius, nihil praestantius,
quàm PALMA, generosissimè adversus pondera resurgens, & olim
hostium Victoribus, ac Triumphatoribus consecrata, exprimere, in Orbe,
poterit. Ad hunc itaq; Actum, quem sola pietas, solusq; devotissimus
erga Principem hunc; cui animum meum fortunâ majorem; cui corpus
hoc, morte ipsâ, pro eodem venale; cui me ipsum & totum debco, amor
& cultus sincerus mihi injunxit. Ad hunc inquam Actum Solennem
MAGNIFICUM DN. RECTOREM, INCLITIS-
SIMUM ACADEMIAE ET URBIS SENATUM,
EXCELLENTISSIMOS OMNIUM FACULTA-
TUM PROFESSORES, DOCTORES, LICEN-
TIATOS, VENERANDOS VERBI DEI MINI-
STROS, CLARISSIMOS PHILOSOPHIAE ET
ARTIUM MAGISTROS; UT ET LECTISSI-
MAM AC NOBILISSIMAM STUDIOSAE JU-
VENTUTIS CORONAM; EXIMIOS DENIQUE
LITERARUM, LITERATORUMQUE FAVITORES,

eò quò


edò quò decet honore invito ; utq; Omnes & Singuli honorificè suà præsenti-
tià, hæc GENIALIA Principis laudatissimi SACRA condecorare
non graventur, decenter quidem, sed paucissimis oro. Superfluum enim
mihi videtur operosè ea rogare, quæ pietas, quæ religio, ergà Principem
hunc celebratissimum, Restitutorem antiquæ Mecklenburgicæ dignitatis,
verum Patrem Patriæ, ipsamq; clementia atq; Virtutum heroicarum
Imaginem, cuius illorum imperabit. Publicatum Rostochis
die XXVIII. Novembris, ANNO DOMINI
M. DC. LVIII.

—————
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Handwritten signature or mark, possibly "Kilii" or similar, in cursive script.

opp 6





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn183875427X/phys_0008

Mecklenburg
Vorpommern



eo quò decet honore invito; utq; Omnes & Singuli honorificè suà præsenti-
tià, hac GENIALIA Principis laudatissimi SACRA condecorare
non graventur, decenter quidem, sed paucissimis oro. Superfluum enim
mihi videtur operosè ea rogare, quæ pietas, quæ religio, ergà Principem
hunc celebratissimum, Restitutorem antiquæ Mecklenburgicæ dignitatis,
verum Patrem Patriæ, ipsamq; clementia atq; Virtutum heroicarum
Imaginem, cuius illorum imperabit. Publicatum Rostochis
die XXVIII. Novembris, ANNO DOMINI
M. DC. LVIII.

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

